

Eadem die hora 20 idem illustrissimus dominus perexit ad ecclesiam parochialem Sancti Bartholomaei Apostoli loci Occhiatanae dioecesis Marianensis, ubi reverenter fuit receptus a reverendo Ioanne Petro Belgodere parocho et a populo. Praemissis consuetis precibus (etc.) visitavit sanctissimum Sacramentum, quod bene asservatur, eoque populum benedixit.

Recognovit deinde baptisterium et sacra olea, quae etiam sufficienter munda sunt. Altaria sunt quinque [*sic*]. [75v] Maius, sancti Bartolomaei; secundum, sanctissimi Rosarii; tertium altare seu cappella beatae Mariae Virginis Pietatis, in qua est ianua domibus parochialibus respondens; quartum, sancti Antonii Patavini; quintum, sancti Sebastiani; sextum, sanctissimi Corporis Christi; et sunt sufficienter ornata. Parochus celebrare debet in anno duas missas pro quondam Benedicta et unam in altari sanctissimi Rosarii pro quondam Aloysio. Ecclesia manutene~~r~~etur sufficienter ornata, indiget tamen maiori luce; ideoque illustrissimus dominus populum hortatus est ad aperiendam aliam faenestram, ubi magis opportunum visum fuerit.

Annui redditus parochiales sunt librae 483,13. Familiae 110. Sacerdotes 8. Animae 582. Altare privilegiatum altare maius.

Successive idem illustrissimus dominus visitavit oratorium Beatae Virginis Mariae Annuciatae, quod deprehendit optime quidem retentum, et potissimum quoad scamna eleganter elaborata. In eo est societas, prout ex inventario (etc.). Illustrissimus dominus summopere laudavit pietatem confratrum eosque ad prosequendum etiam in posterum hortatus est.

[...]

Pro ecclesia parochiali Sancti Bartolomaei loci Occhiatana

Apponantur lamina vitrea valvulae quae claudit aediculam statuae sancti Antonii Patavini intra duos menses, sub poena librarum viginti.

Fiat velarium ad cooperendum iconem sanctissimi Rosarii intra tres menses, sub poena librarum viginti.

Calce liniantur parietes ubi opus est intra tres menses, et intra quatuor reparetur tectum, sub poena librarum 100.

Apponatur sera ferrea cum clavi ianuae quae est in cappella [79r] beatae Virginis Mariae Pietatis.

Fiat altera faenestra satis ampla ad magis illuminandam ecclesiam intra quatuor menses, sub poenis (etc.).

De caetero vero cum illustrissimus ac reverendissimus dominus ecclesiam decenter retentam invenerit, et potissimum oratorium seu casazza scannis optime elaboratis ornatum, laudando populi pietatem ad perseverandum hortatus est.